



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118871

§. 92. Landishutum Boicum oppidum a Suecis expugnatum, direptumque.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

Sæc. XVII.
A.C. 1634.

§. XCII.

Landishutum Boicum oppidum a Suecis expugnatum, direptumque.

*Le Blanc.
Hist. de
Eavier. t. 4.
Annal. Boic.
part. 3. l. 19.*

Cum hæc gererentur, Vinariensis Ducem decem armatorum millibus, quem Hornius in Bavariam infuderat, auctus Aicha urbe penitus deleta, Landishutum obsidere statuit, arcemque aggressus, edita tergemina muri ruina, eodem die vigesima secunda Julii expugnavit. Irrumpunt igitur Sueci crebram suorum cladem ulturi, ferro, sanguine miscent omnia, fugant, proteperunt, ac trucidant obvios quoscumque, indeque certatim per montis declivem perque sinuosas vias in urbem furibundi effunduntur, & præfidiarios paulatim pedem referentes cædunt, eosque ad Isaræ pontem propellunt, denum milite ejecto in cives innoxiosque faciunt. Stratæ viscebantur cadaveribus plateæ, ædesque incendiis dirutæ. Enimvero imminentem cædem magno numero Viri, foeminae, pueri ac infantes effugere certabant, confertim tamen ad pontem fugientes, alii ab hoste aut cæduntur aut capiuntur, alii elisi ac conculcati, non pauci e ponte detrusi fluctibus hauriuntur. Ipse etiam Aldringerius, Bellidux benigniore facto digni-

Sæc. XVII.
A.C. 1634.

dignissimus, cum urbi in auxilium pro-
 perat, in ponte super Isaram globo tra-
 jectus occumbit. Nec tamen tot mi-
 ferorum clade fatiata erat Suecorum
 inhumanitas, quæ innocentis Sacrique
 cruoris sitibunda Ecclesiasticos, Mo-
 nachosque ad crudelissimam lanienam
 tanquam hæretici furoris victimam de-
 polcebat. Horum ergo quosdam solo
 Religionis odio inermes, innoxiosque
 intra domesticos parietes trucidarunt,
 cæcorumque corpora in flumen proje-
 cere: alios fune circum tempora susti-
 bus in arctum contracto excruciant,
 ut gazam, quam tamen ignorabant;
 proderent: quamplurimos infusa per
 vim aqua, eaque rursus e ventriculo
 calcantium pedibus extorta (quam
potionem Suecam vocant) horrendum
 in modum excarnificarunt. Tenuit
 quoque cruenta urbis direptio plures
 dies, & quamvis cives omnibus pene
 facultatibus fuissent exuti, violenta ta-
 men ac præstando impar indicitur ex-
 actio, & pro solutionis securitate obli-
 des in diram longamque vexationem
 abstrahuntur: nec etiam ædibus Sa-
 cris, ac mortuorum ossibus parcitum;
 quippe tumultuantes hæ furix S. Ca-
 stuli, aliorumque Divorum ossa in Tem-
 plo ad S. Martinum projecta per pavimen-

Sæc. XVII. mentum sparserunt, thecasque argenteas
A. C. 1634. teas vertere in prædam.

Ineunte hoc anno rustici in Bavaria ad Oeni confinia, cum militum injurias pertractati essent, bidentibus, sudibus, aliisque agriculturæ instrumentis armati, numero ferme septingenti Ebersperga confluerant, nullo hostis amice discrimine obvios quosque milites truncaturi: Re comperta Maximilianus Elector, ut hosce miseros ostentia armorum violentia terreret, die decima octava Januarii milites suos immisit, resistunt tamen rustici, suosque in aciem educere tentant, ast bellici tormenti fragore territi fugam arripiunt. Pars ferro cæsi in fuga, pars in castris suis: alii vero insequentis militum furorem in sylvis & paludibus latitantes declinabant, hujus vero tumultus Antesignanus & viginti duo alii in castris quo confugerant, injecto igne perierunt.

§. XCIII.

Varia Suecorum fortuna in Alsatia, Westphalia & alibi.

Landishutanam calamitatem prævenerat Bambergensis ditionis devastatio; postquam enim prope Forchheimium plusquam ducenti ex Cæsareis qui annonam ab hoste relictam Bambergam revehere parabant, a Vinariensis